Q. D. B. V.

DISSERTATIO JVRIDICA INAVGVRALIS,

DE SVCCESSIONE CLERICI IN GERADAM,

QVAM,

INCLVTÆ

FACVLTATIS JVRIDICÆ ERFFVRTHENSIS

CONSENSV,

PRÆSIDE

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO VIRO,

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, FACVLT. JVRID. DECANO ET ASSESSORE COD. P. P. ORDIN.
ILLVSTRISSIMI S. R. I. COMITIS DE GLEICHEN ET HAZFELD CONSILIARIO,
NEC NON EJVSDEM CANCELLARIÆ ET CONSISTORII BLANCKENHAIN,
DIRECTORE, CIVITATIS ERFORD. SYNDICO
ET CONSVLE,

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CAPESSENDO,

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

PLACIDÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

AVGVSTVS LEISTENIVS,

Dresdensis,

ADV. IN SAX. ELECT. IMMATRIC.

DIE XX. OCTOBRIS MDCCXXXIV.

ERFORDIÆ, Stanno HERINGIANO, Acad. Typogr.

74

Q. D. B. V.

PRAELOQVIVM.

CVm Dissertationem hancce inauguralem ad finem fere perduxissem, in manus mihi amici cujusdam Bibliothecam perlustranti forte fortuna incidebat *Dissertatio* Dn. D. MARTINI LANGII, *mens. Octobr. MDCCVIII.* Lipsiæ habita, quæ de eadem, de qua ego quidem nunc differere intendo, materia, est conscripta. Anceps itaque hærebam, utrum in elaborando themate meo pergerem, an vero filum potius abrumperem? Verum, quia perlectione peracta animadvertebam, præ laudatam Dissertationem LANGIANAM cum mea quoad titulum quidem convenire, quoad tractationem autem ipsam longe ab ea differre, in proposito, Dissertationem præsentem edendi, perstiti. Hanc itaque, Lector benevole, accipe, &, siquæ minus accurate, aut non satis erudite conscripta sint, tam festinationi, quam strepitui forensi, quem septem jam abhinc annis, & quod excurrit, primo ut Præfecturæ Actuarius, & post ut Advocatus excepi, & qui solidiores de materia hac meditationes disturbavit, tribue.

DE SVCCESSIONE CLERICORVM IN GERADAM

CAP. I.

De Perſonis in Geradam ſuccedentibus.

§. I.

MVlta & inſignia Clericis privilegia, tam quoad perſonas, quam quoad bona in jure tam divino, quam humano, eoque tam Civili & Canonico, quam Saxonico eſſe conceſſa, neminem, qui prima tantum juris elementa delibavit, fugit. Vrbes enim Levitarum, quod ad jus divinum attinet, venditæ, & domus, in quibus eorum mobilia repoſita erant, quocunque tempore redimi poterant, cum ratione aliarum urbium & domuum certus terminus præfixus erat. *Lev. 25. v. 32.* Porro adhuc hodie habent forum privilegiatum, *L. 25. C. d. Epiſc. & Cler. L. 13. C. de Epiſc. ſtud.* NOV. 79. & *C. 12. X. d. for. Comp.* Jmmunes ſunt ab onere Tutelæ, in tantum, ut Jure Civ. ne volentes quidem oneri huic ſe ſubjicere poſſint, NOV. *123. C. 5. Auth. Presbyteros C. de Epiſc. & Cler.* quamvis hodie volentes admittantur. ORD. ECCLES. SAX. *Tit.* von *Immunität* und Freyheiten derer Kirchen-Diener §. daneben. Debetur illis gratioſa habitatio, libero fruuntur potu, immunitate a præſtatione metatorum, Acciſæ, detractationis, Nachſteuer, Abzugs-Gelder, aliorumque onerum, quæ cibis & aliis conſumtibilibus atque rebus impoſita ſunt. Morbo ſontico laborantibus & emeritis certa, unde ſuſtententur, conſtituitur proviſio. Viduis & liberis quoad Proteſtantes, poſt mortem per aliquod temporis ſpatium,

spatium, quod est in Saxonia Electorali semestre, relinquitur salarium, habitatio, aliique reditus parochiales.

§. II.

Plura adhuc sunt privilegia, quibus Clerici donati sunt, quæ vero omnia enumerare necesse non videtur. Convertimus nos potius ad illud, de quo in præsenti Dissertatione agere constituimus, quod est: IN GERADAM SUCCESSIO. Esse vero hanc successionem privilegium, vel ex eo constat, quod 1) alii masculi in Geradam non succedant, 2) quia filiæ multo melioris conditionis sint, filiis, dum illæ ex hereditate materna Geradam præcipuam capiunt, hi vero ex hereditate paterna Heergewettam solum accipiunt. vid. *Progr. Consultissimi* BASTINELLERI, de Proverbio: Gerade macht viel ungerades, & 3) quia omnes fere DD. hanc materiam sub titulo, de Immunitatibus & Privilegiis Pastorum, jure meritoque tractant. A reliquis tamen clericorum privilegiis præsens in eo differt, quod tunc illa omnibus omnino clericis, quicunque modo hodie tales audiant, sunt indulta, hoc autem certæ tantum eorum speciei competat.

§. III.

Interest itaque maxime, ut inquiramus, quinam mihi sub nomine Clericorum veniant, & qui illi sint, qui in Geradam succedunt. Quod si genuinum vocabuli τῦ κλήρυ sensum consideramus, quatenus in S. Scriptura occurrit e. g. *Col. 1. v. 12.* & *Ephes. 1. v. 14.* & sortem significat, vid. *Dictionair universel Francois de Monf. Ganeau,* ad voc. *Cler. T. 1. p. 1859.* sane negare non licet, omnes omnino fideles, per Christum ad sortem capiendam vocatos, Clericos esse, & sic quoque appellari posse, BOEHM. *Jus Paroch. Sect. 1. C. 2. §. 59. p. 33.* WERNH. *Princ. jur. eccl. Protest. C. 1. §. 6. p. 2.* Verum de his in hac Dissertatione mihi non esse sermonem, unicuique ad intelligendum non erit difficile, si animo secum pensitat, eo tempore, quo Jus Saxonicum provinciale Clericis accessionem in Geradam concessit, hoc vocabulum eos tantum comprehendisse, qui fa-

cris & ecclesiasticis muneribus applicati erant. Aequale judicium, etiam de voce Germanica Priester, utpote qua, juxta stylum S. Scripturæ, docente B. LUTHERO *Tom.* I. *Altenb. p. 482.* omnes etiam Christiani denotantur, ferendum est.

§. IV.

Accedo itaque ad specialiorem usuque receptam vocabuli CLERICI, significationem, vi cujus illi ita dicuntur, qui sacrum munus obeunt. DUAREN. *Tract. de sacr. Eccles.* SCHILT. *Instit. Jur. Can.* adjecta *L. 1. C. 14. p. 102. Diction. univers. loc. alleg.* BOEHM. *Jus Ecclesiast. L. III. T. 1. §. 35. p. 81.* Varias autem dari Jure Canon. tam majorum, quam minorum ordinum Clericorum species, nimirum Archi-Episcopos, Episcopos, Presbyteros, Primicios, Syncellas, Visitatores, Parabolanos, Diaconos, Subdiaconos, Diaconissas, Copiatas, Acoluthas, Exorcistas, eosque maximam partem hodienum adhuc inter Catholicæ Religioni addictos usu servari, notissimum est. Proinde dispiciendum omnino, cum ipsa dispositio Juris Sax. de Catholicorum Clericis agat, an omnes eorum indistincte ad successionem in Geradam admittantur, quod utique negatur. Namque cum jus Saxonicum Provinciale, quod est hujus successionis Clericorum in Geradam autor, *Lib. 1. Art. 5.* expresse requirat, ut Clericus sit 1) *doctus* 2) *initiatus*, & 3) *tonsus*, seu, uti textus germanice pronuntiat: Daß er sey gelehrt, geweyhet, und mit Scheren gezeichnet, facile apparet, Diaconissas, Acoluthas & reliquos his requisitis destitutos hujus dispositione non gaudere, sed eos tantum, qui apud Pontificios ita initiari solent. Ceterum si quæstio in Sax. apud Pontificios ratione hujusmodi accessionis obveniat, omnia ea, præter initiationem, etiam observanda sunt, quæ JUS SAX. PROV. *loco alleg.* disposuit, nimirum, ut Clericus maneat coelebs, & ut careat præbenda, aut ad certam ecclesiam nondum sit vocatus, quæ vero, uti mox dicetur, apud Protestantes paullo aliter se habent.

§. V.

Non solum autem Jure Can. & apud Catholicos Clerici in multas abeunt species, sed etiam Protestantes varias, ab

illis

illis, licet diversas, eorum agnoscunt, imo æque in clericos majorum & minorum ordinum, sensu licet iterum [illegible]erso, Dn. BÖHM. *Jus ecclef. Prot. L. 1. T. XI. §. 8. p. 423.* eos dispescuit. Hinc dantur Professores, Superintendentes Archidiaconi, Diaconi, Canonici, Catechetæ, Ministri scholarum, Organici, Æditui, Ludimoderatores. Æqu[illegible] tamen monendum est, horum non omnes in Geradam succedere posse, sed perfrui ex his hoc beneficio eos solos, qui initiari solent, vel potius, qui jam initiati sunt, h. e. welche ordiniret seyn. BERG. *Oec. Jur. L. II. T. 4. Th. 40. n. 13. p. 459.* BOEHM. *Jus Ecclef. Protest. L. III. Tit. 1. §. 7. p. 113.* LUDOV. *Pand. T. de modo succed. ab intest. §. 8. p. 579.* in tantum, ut ne nominatio quidem, electio, concio sic dicta docimastica, vocatio & præsentatio sufficiant. Quapropter licet quidam a Patrono legitime sit vocatus, atque Consistorio etiam præsentatus, tamen in Geradam matris, si hæc vel unico etiam momento ante ipsam ordinationem moriatur, succedere ei non permittitur, BARTH. **Bericht von der Gerade/** *C. II. §. 25. p. 86.* Nec obstat, quod ordinatio hodierna, ab ea, quæ pristinis temporibus inter fideles obtinebat, in eo differat, quod hæc electioni statim accedebat, & complementum hujus erat, adeoque nullum spatium electionem inter & ordinationem intercedebat, BOEHM. *Jus ecclef. L. I. T. 9. §. 18. p. 429.* illa vero, nempe hodierna, post tractum temporis, & aliquando post duos, tres, aut plures menses electionem demum sequatur, adeoque quis judicare posset, effectum, qui ordinationi pristinæ tributus fuit, hodiernæ Vocationi largiendum esse. Namque hocce obstaculum eo solo removetur, quod, dum prioribus tantum seculis ordinatio statim cum Electione conjuncta fuit, eo autem tempore, quo Jus Sax. Prov. latum est, jam invaluisse, BOEHM. *jus eccl. Prot. L. 1. T. 9. §. 18. p. 429.* ut vel paulo, vel longe post, & non in continenti, sequatur, hoc jus ad nullam aliam initiationem respexerit, quam post intervallum adhibitam. Ex his itaque sua sponte fluit, multo minus studiosos Theologiæ, pro Candidatura, ut vocant, licet examinatos successionem in Geradam prætendere posse

BERG.

BERG. *Oec. Jur. L. II. T. 4. th. 40. n. 13. p. 459.* BOEHM. *Jur. Eccles. III. T. 1. §. 67. p. 112.* BEYER. *Del. Jur. Civ. Just. Tit. de success. ab intest. pos. 79. in not. k.* Aſt, exſurgit quæſtio, ſi nimirum durante adhuc actu ordinationis mater ordinandi decedat, an hic Geradæ capax ſit? Reſpondendum mihi videtur, quod non, ex ratione, quia in Textibus Jur. Sax. non dicitur, eum eſſe pro clerico, vor einen Pfaffen zu halten, qui cœpit ad munus ſacrum conſecrari, & raſura inſigniri, ſeu, juxta morem Proteſtantium, ordinari, ſed, qui jam eſt conſecratus, & tonſura notatus, adeoque ſtricte verbis hiſce, inprimis cum jus plane ſingulare & exorbitans contineant, inhærere jubemur. Si quis objiciat: Cingendum haberi pro cincto; ille ſciat, hunc canonem ad jura ſingularia applicari non poſſe, taceo, ſi hoc obtineret, etiam vocato & præſentato, utpote etiam cingendo, ſucceſſionem geradicam non denegandam fore. Requiritur itaque, ut totus ordinationis actus ſit abſolutus, quanquam hoc largiar, neceſſitatis etiam haud eſſe, ut uſus ſacræ Cœnæ, qui ordinationi adhiberi ſolet, ſit peractus, quia hic ad formale ordinationis neutiquam pertinet, ſed ad confirmationem tantum. Dum nec ordinatio ſufficit, ut quis ſacrum munus adminiſtret, ſed confirmatio Conſiſtorii, imo, ſecundum leges Saxonicas, Inveſtitura accedat neceſſe eſt, dubitare quis poſſet, utrum ante has ſucceſſio in Geradam competeret? At, quia JUS SAX. PROV. cum ſola ordinatione acquieſcit, nec nobis ultra progredi integrum eſt. Quodſi contingat, ut Superintendens, vel alius quidam ordinationem ſtudio ſine ſufficienti cauſſa differat, vel, quo minus ea fiat, impediat, dubium non eſt, quin ordinandus, ſi interea mater mortua ſit, regreſſum ob ceſſantem geradæ ſucceſſionem contra differentem vel impedientem inſtituere queat.

§. VI.

Quæ cum ita ſint, excluduntur a ſucceſſione in Geradam omnes reliqui Clerici, quicunque ſint, Profeſſores, BARTH. Bericht von der Gerade *C. 11. §. 25. p. 87.* etiam Theologiæ, quoniam hi, qua Doctores & Profeſſores non

ordinan-

ordinantur, BOEHM. *Jus eccles. L. I. T. 13. §. 6. & 7. p. 470.* Canonici, BARTH. *loco citato*, & BOEHM. *L. III. Tit. §. 67. p. 112.* Catechetæ, BARTH. *d. l.* Ministri scholarum, & organici. Restant Æditui & Ludimagistri, hos BERG. *in suppl. ad El. Diss. for. P. II. Cent. 3. Consil. LV. p. 14. 84.* & BARTH. **in seinen Bericht von der Gerade** ad successionem in Geradam admittunt. At enim vero, quia textus Juris Sax. Prov. uti sæpius jam audivimus, de solis clericis doctis, consecratis, & tonsura capitis insignitis loquitur, nullam etiam rationem perspicio, cur hi, cum tamen ipsi Doctores & Professores Theologiæ, Rectores scholarum & reliqui a successione geradica arceantur, sint admittendi, quamobrem pace horum virorum in contrarias partes abeundum esse censeo.

§. VII.

Multo magis etiam denegatur hoc jus succedendi, si inter Protestantes res agitur, filiis Clericorum, qui clerici ordinati non sunt; ita, ut neque in matris, neque si patres ipsorum jam mortui, loco patrum in aviæ Geradam succedere possint. Equidem cum GOLDBEKIO *de success. Gerad. L. 1. n. 4. p. 36.* dissentit STRYK. *ad Brunnem. Jus eccles. L. II. c. 13. §. 1.* ad verba: *vel consuetudine p. 415.* provocans ad *Art. 1. Jur. Prov. Sax.* Verum, quia hic textus nequaquam de filiis Clericorum loquitur, sed tantum de clericis doctis, initiatis & tonsura capitis notatis, horum Virorum opinione adstipulari non immerito erubescimus. Nec in partes eorum ideo trahor, quod Clericorum filii ex bonis paternis nullas capiunt res expeditorias, dum Clerici tales non relinquunt. STRUV. *Diss. de Heergewett. Sax. c. 1. S. 1.* CARPZ. *Jurispr. Cons. L. I. Tit. IX. Def. 180. n. 5. p. m. 193.* & BEYER. *in Addit. ad eund. p. 83.* BOEHM. *Jus Eccles. L. III. T. 1. §. 66. p. 121.* BARTH. **von der Gerade** *c. VIII. §. 4. p. 749.* successio autem in Geradam loco successionis in Heergewettam introducta est. Namque primo defectus rerum expeditoriarum, uti ex textu all. liquet, non sola ratio hujus Juris singularis est, & deinde, si omnes ii, qui res expeditorias haud consequuntur, Geradæ capaces esse deberent,

rent, sane, non tantum omnes, qui Clerici in sensu specialiori v antur, tam majorum, quam minorum ordinum, quia hi neque res expeditorias relinquunt, neque accipiunt. BARTH. von der Gerade *C. VIII. §. 4. p. 749.* WERNHERI *Obs. for. Vol. V. P. 8. Obs. 402. p. 677.* BERG. *Dec. Jur. L. II. Tit. IV. th. 40. n. 1. p. 457.* BEYER. *in Addit. ad Carpz. Jurispr. Eccles. L. 1. Def. 180. p. 83.* sed etiam multi laici, dum sæpissime inter agnatorum defunctorum bona nullæ res expeditoriæ reperiuntur, Geradam caperent, quod vero nullatenus procedit. Valet igitur argumentum a defectu Heergewettæ desumtum non ulterius, quam textus juris permittunt, nec, quod contra rationem juris est receptum, ad consequentias producendum est, uti dicit PAVLVS in *L. 14. ff. d. LL.* & *l. 141. ff. d. R. J.* & hanc ob rationem id, quod contra hujusmodi rationem introduxerunt Legislatores, vocatur jus singulare *L. 16. ff. de LL.*

§. VIII.

Hæc sufficiant de filiis Clericorum. Jam operæ pretium erit, ut disseramus etiam de filiabus eorum, an scil. hæ, patribus ipsorum defunctis, de Gerada aviæ paternæ aliquid participent? dico, *aviæ paternæ*, ratione geradæ enim aviæ maternæ nullum adest dubium. Ingenue fateor, multa prostare rerum argumenta, quæ nobis affirmantem sententiam commendare queant, hoc quidem expeditum est, quod e. g. neptis ex filio laico progenita nullum jus in Geradam aviæ habeat. HARTM. PIST. *L. 1. qu. 33. n. 21.* COLER. *P. 1. qu. 49. n. 33.* propterea quod, dum pater ipsius hoc non habuit, illud ad filiam transferre haud potuit, *L. 51. ff. d. R. J.* Nec prætendere filiæ geradam poterit pro se, quia fœminini sexus est, nullo respectu habito ad patrem, siquidem certum est, successiones non fieri per saltum, sed successive; pari ratione sicuti masculus ex fœmina natus Feudum masculinum capere nequit: STRYCK. *Ex. Jur. feud. C. 15. qu. 4.* HORN. *Jurispr. feud. C. 15. §. 5. p. 373.* RITTER. *Lucubr. feud. C. VII. §. 24. p. m. 88.* & in successione fidei commissorum, ubi, si mater excluditur, exclusus quoque censetur ejus filius; COSELII *Diss. decadem*

quæst.

quæst. in fin. quæst. 3. At enim vero multo aliter ſeſe res habere videtur ratione filiæ, cui clericus eſt pater, quoniam hic jus ſuccedendi in Geradam habuit, & per conſequens hoc etiam in filiam ſuam transferre potuit, filiaque perſona capeſſendæ Geradæ habilis eſt. Attamen his non obſtantibus ſententia negativa, utpote analogiæ juris multo conformior, mihi arridet. Etenim Jure Saxonico admittuntur tantum ad Geradam cognatæ, ſive foeminæ, quæ, uti IVSTINIANVS *in Inſt.* §. 1. *de legit. agnat. tut.* loquitur, per foeminini ſexus perſonas cognatione junguntur, jam vero neptis ex illo, licet clerico, ſuſcepta, non pro cognata, ſed agnata aviæ eſt habenda, propterea quod, uti iterum *in Juſtit. l. c.* dicitur, per virilis ſexus cognationem, non vero per foeminini ſexus perſonam, cognatione conjuncta eſt, adeoque inhabilis ratione aviæ Geradæ judicatur. Non obſtat dubium motum, quod ſcil. pater tamen filiæ Geradæ capax fuit, quia fallit hoc argumentum, pater meus eſt Geradæ capax, ergo etiam ego, ſiquidem alias omnes maſculi in Geradam ſuccederent.

§. IX.

His itaque requiſitis Clericum habilem ad Geradam capeſſendam reddentibus addit *Text.* JVR. PROV. SAX. ſæpe allegatus duo ſequentia: *Alterum* eſt, ut Clericus, uti dicitur, non ſit beneficiatus, ſive præbendatus. Tenendum eſt, multos jure Canonico dari clericos, beneficio & præbenda deſtitutos. Quales ſunt 1) illi, qui ad titulum patrimonii, hoc eſt, non ratione certæ eccleſiæ, ſed intuitu proprii, unde ſe ſuſtentarent, patrimonii ordinantur 2) illi, qui canoni Eccleſiæ inſcripti non erant, nec ſtipendiis eccleſiaſticis militabant, nec hujusmodi ſportulis alebantur, ſed qui in Oratoriis tantum Magnatum ſacra adminiſtrabant, & ab his ſalaria accipiebant. BOEHM. *cod. L. III. T.* 1. §. 8. *p.* 58. 3) Canonici in herbis, ſive quoad præbendam expectivati. BOEHM. *cod. T. V.* §. 79. *p.* 322. & *Tit. VII.* §. 7. *ſeq. p.* 575. 4) ii, qui in ſtricta reſidentia adhuc conſtituti ſunt, quæ tribus potiſſimum conſtat annis carentiæ, quibus proventibus carere debent, BOEHM. *cod. T. IV.* §. 48. *p.* 250.

48. p. 250. & *Tit. V. q. 57. p. 301.* *Alterum* requisitum est, ut clericus maneat coelebs. Quoad beneficium sive præbendam tamen distinguendum est, utrum Clericus tali fruens sit solus, an cum sororibus concurrat. Priori casu Clericus indistincte Geradam, & quidem totam capit. BARTH. **von der Gerade** *C. 11. §. 24. p. 83. in fin.* Posteriori autem iterum distinguitur, utrum concurrat cum sorore elocata, sive, ut Saxo loquitur, mit einer ausgeratheten, an cum soluta, mit einer unberatheten. Si hæc adest, removetur plane a successione geradæ frater Clericus, dicitur enim in textu: die unberathne Tochter theilet nicht ihrer Mutter Gerade mit den Pfaffen, der eine Pfründe hat. Sin illa, elocata nempe, admittitur, quia verba hujus textus tantum loquuntur de soluta, non elocata. Vtrum vero tunc integram accipiat Geradam, an cum sorore nupta eam dividere necessum habeat, dubium est. Ego judico, dividendam eam esse, propterea, quod filius Clericus præbenda instructus & filia nupta paris sunt conditionis, dum uterque superstite sorore innupta a Gerada excluditur, ob Art. 5. in verbis: die Tochter, so in dem Hause geblieben, theilet nicht ihrer Mutter Gerade mit der Schwester, die ausgerathet und vergeben ist; & e contrario uterque soluta sorore deficiente admittitur; Ergo si filius Clericus, cui est præbenda, & filia elocata concurrunt, neuter prærogativam sibi præ altero arrogare potest, sed æquali jure utuntur, & sic divisio Geradæ instituenda est. Accedo ad alterum requisitum, Coelibatum. Eo enim tempore, quo Jus Provinciale Saxonicum compilatum est, quod factum seculo XIII. conf. LVDOVICI **Sachsen-Spiegel in der Vorrede.** *§. 11. p. 11.* Papa ille famosissimus Gregorius VII. sicuti in eo totus erat, ut rebus novandis studeret, & omni, quo fieri poterat, modo hierarchiæ statum stabiliret, ita etiam ex causis politicis motus Clericis jam Anno MLXXIV. matrimonium interdixerat. Conf. BOEHM. *Jus Eccles. Prot. L. III. T. III. §. 12. p. 186.* **Glafeys** *Hist. Germ. pol. C. XII. th. 4. p. 199. seqq.* SPEN. *Diss. de Ottonismo §. 22. p. 21.* Quicunque igitur tale inibat, clericalem amittebat dignitatem

tem

tem & privilegia huic annexa, consequenter & inhabilis successionis Geradicæ pronunciabatur.

§. X.

Clericos Protestantium quod attinet, hoc requisitum ut careant beneficio, seu præbenda, non magis attenditur, quam distinctio, an concurrant cum sororibus, nec ne, item an adsint sorores elocatæ, vel minus, sed his omnibus neglectis, modo ordinati sacro numeri inserviant, Geradam capiunt, WERNERI *Diss. d. Jur. succed. in Reb. expedit. & utens.* *§. 8. in not. lit. a.* BARTH. **von der Gerade** *C. II. §. 24. p. 84. & 85.* Nec hoc etiam est improbandum, namque, si ii clerici solum Geradam accipere possent, qui beneficio destituti, tum nemo profecto eadem frueretur, propterea, quod, cum beneficium & præbenda sensu generali sumto consistat in jure percipiendi reditus ecclesiasticos ex bonis ecclesiæ ratione divini officii, cui quis præest. BRUNNEM. *Jus Eccles. L. II. C. 4. §. 2. p. 284.* ad eundemque STRYCK. HORN. *in addit. ad Schilt. Jus Can. L. II. T. 6. §. 4.* ad v. *beneficio p. 301. seqq.* DESSEL. *Erotem. Jur. Can. L. III. T. 5. qu. 11. seqq. p. m. 247.* nullus autem Clericus, exploso sc. more, raso tonsoque capite inter Clericos aliquem recipiendi, & tamen nullum proprium ministerium nec beneficium assignandi, absque tali beneficio ad sacrum munus promoveatur, nullus etiam Geradæ capax æstimari posset. Nec asseri potest, textum JUR. PROVINCIALIS SAX. respexisse ad veterem morem, ubi quotidianus victus inter Clericos distribuebatur, & nullus eorum bona ecclesiastica immobilia, unde fructus perciperet, possidebat, BOEHM. *Jus Eccles. L. III. T. 5. §. 4. seqq. p. 259.* ita ut quis judicare posset, inter Pastores urbanos & paganos distinguendum est, quorum illi, quia raro bona ecclesiæ immobilia tenent, sed tantum salario fruuntur, adeoque quotidianum quasi victum per hoc percipiunt, Geradam capere possent, hi autem, quia utplurimum de proventibus bonorum Ecclesiæ, quæ possident, vivunt, ab ea arcendi essent. Hoc, inquam, asseri non potest, ex ea ratione, quoniam illo tempore, quo Jus Provinciale Sax. compilatum est, id quod factum seculo XIII. consuetu-

80

do ipsa ecclesiæ, bona possidendi, tribus aut quatuor seculis ante, nimirum nono vel decimo, jam in universum introducta fuit, BOEHM. *eod. L. III. T. 5. §. 33. seqq. p. 297.* Taceo, etiam eos Clericos, quibus tantum salarium præstatur, dici posse tenere præbendas, propterea quod præbere in genere nihil aliud significat ac præstare.

§. XI.

Cum singularia quædam circa Pastores castrenses, sive bellicos, Feld-Prediger, occurrant, quæ in eo consistunt, quod concionem δοκιμαστικὴν non habeant, item, quod officium suum non omni tempore, sed tantum, quando in castris & expeditionibus commorantur, exercere queant, adeoque eorum functio quodammodo sit temporaria. vid. BEYER. *Addit. ad Carpz. Jurispr. Cons. L. I. Def. 25. p. 19.* & KRAUSII *Diss. de Concione docimastica §. 47. p. 28.* non inutile erit, quæstionem movere: an ratione eorum peculiare quid obtineat in successione Geradica? Ansam dubitandi, utrum beneficii succedendi in Geradam participes sint, forte quis vel inde sumere posset, quia dum castra sequuntur, & expeditionibus intersunt militaribus Pastores castrenses, quin imo nonnullis privilegiis militibus propriis fruuntur, inter quæ hoc principem locum tenet, quod jure militari testari valeant. HOPP. *ad Inst. pr. de milit. Testam. p. m. 311.* STRUV. *synt. Jur. Civ. Ex. 34. th. 4. p. m. 194.* BERG. *Oecon. Jur. L. II. Tit. 4. th. 5. n. 2. p. 351.* LAUTERB. *Comp. jur. Tit. de testam. mil. p. 500.* &, quod si in acie vel in expeditione decesserint, patri suo prosint, quo a tutela suscipienda se excusare queant, arg. *p. Inst. de Excus. Tut. vel curat.* quia, inquam, dum hæc ita se habent, rerum expeditoriarum capaces videntur. Ast, quoniam concionatores campestres æque, ac alii Pastores sunt clerici, nec non per manuum impositionem munus sacrum consequuntur, & Jus Saxonicum inter hos & alios Clericos haud distinguit, tantum abest, ut nos distinguamus, & diversi quid statuamus, ut potius idem jus, quod aliis competit, illis attribuamus. Nec obstat, quod tamen, uti dictum, expeditionibus bellicis intersint, militumque privilegiis utantur; responsio enim tunc erit in promtu,

tu, quod hujuscemodi generis clerici eo ipso, dum castra sequuntur, non priventur clericorum privilegiis, dum bellis intersunt, non ut militent armis corporalibus, sed spiritualibus, & durante etiam bello, muneri sacro & ecclesiastico manus admovent. Imo nec hoc nostræ sententiæ contrariatur, quod Concionatoribus opus sit equus ephippio stratus, nebst denen Pistolen und Schabracken, it. einem Heer-Pfühl und ein Küssen rc. quæ res ad Heergewettam pertinent, prout opinatur STRUV. *in Designat. rerum expedit. quæ Comment. in Tract. Matth. de Success. adjecta est, p. 417.* BARTH. von der Gerade, *c. 8. §. 11. sqq. p. 760.* Siquidem his iterum utuntur, non qua milites, sed qua clerici, & quo eo commodius tutiusque munere suo persungi queant. Quæ etiam causa est, quod hujusmodi res non pro expeditoriis, Heergewett-Sachen, sed pro aliis rebus hereditariis, Erb-Stücken, habeantur, teste BARTHIO *l. c. C. 8. §. 4. p. 749.*

§. XII.

An filius, ex parentibus Evangelicæ Religioni addictis natus, in Geradam matris suæ succedat, si Religionem Evangelicam deseruit, & Romano-Catholicam amplexus, ibique Clericus per initiationem factus est? Dico, omnino, quoniam certum est, in Sacro Romano Imperio ob mutatam religionem (intellige Lutheranorum, Reformatorum, & Romano-Catholicorum) neminem amittere successionem, nec expresse a parentibus exheredari posse.

§. XIII.

Pastores substituti per se notum est, quod, si sint ordinati, perinde ut alii clerici hoc privilegio gaudeant, conf. *Diss.* STIPPLERI *de eo quod justum est, circa Ministr. Eccles. substit. c. III. §. 13. p. 94.*

§. XIV.

Sæpissime interea contingere solet, ut antequam quis Clericus evadat, parentes ipsius præmoriantur. Esto itaque, pater, dum filius ipsius adhuc in statu laicorum fuit, diem obiit supremum, & hic res ejus accepit expeditorias, jam autem, mutato ipsius statu in clericalem, discedit etiam mater, po-

poteſtne filius etiam in Geradam ſuccedere? Ajo, quod ſic, ex ratione, quod cum Jus non diſtinguit, nec noſtrum ſit diſtinguere, quid? quod mors patris filio hoc in caſu præjudicium afferre nequit, quod autem eveniret, ſi non in Geradam ſuccederet, dum Gerada ut plurimum multo locupletior eſt Heergewetta. Obſtare equidem huic opinioni videntur dubia haud levia, utpote 1) quod ſucceſſio in Geradam ideo indulgeatur Clerico, quia ei ſucceſſio in Heergewettam denegata, adeoque, dum hanc e bonis patris accepit, illam ſibi aſſerere nequeat, & 2) quod nec duo ſingularia circa unam eandemque rem concurrere posſint, nec quis duplex lucrum capere debeat, quod vero fieret, ſi clericus & ad Heergewettam & ad Geradam vocaretur. Verum ad dubium primum reſpondetur a) quod præter defectum Heergewettæ textus Jur. Sax. Prov. adhuc alia nitatur ratione, & b) eadem defectus Heergewettæ ratio obtineat, ſiquidem Clericus, licet Heergewettam patris ſuccedendo ſibi acquiſiverit, ab Heergewetta tamen aliorum agnatorum excluditur. Alterum dubium removetur per ſequentia, quod re vera tantum unum adſit ſingulare, nimirum Succeſſio in Geradam, cum ſucceſſionem in Heergewettam Clericus tunc adhuc laicus ex Jure Communi habuit, & quod, duo lucra diverſo tempore, & ex diverſa cauſa capere, jura nullibi improbent. Nec clerici fratrum & ſororum conditio redditur deterior, quia ſororibus rerum expeditoriarum per ſe incapacibus nihil detrahitur, ſi Clericus de Heergewetta patris participat, neque fratribus, ipſo jure a ſucceſſione geradica excluſis, ſi in Geradam matris ſuccedit, ex quibus præſtructis inſimul fluit, clericum ne res expeditorias quidem in caſu enarrato perceptas reddere obligatum eſſe.

§. XV.

In fine hujus Capitis paucis adhuc attingi meretur, nonnullos, ſigillatim FRANKENBERGERUM *in Praxi ſua jur. modern. L. III. T. 15. §. 26.* in ea verſari opinione, acſi tunc clericus tantum in Geradam ſuccedere poſſet, ſi unicus adſit

ad sit filius clericus, non vero si plures, quia textus JVR. PROV. SAX. unius solummodo Clerici mentionem faciat, dicens: der Pfaff nimt gleichen Theil ꝛc. Verum falli & fallere FRANCKENBERGERVM argumento satis idoneo demonstratum dedit BARTH. *l. c. §. 22. p. 88.* cui addendum, haud infrequens in jure esse, ut ponatur numerus singularis, & tamen sub eo comprehendatur etiam pluralis, cujus asserti exempla occurrunt in *§. 1. Inst. qui testam. tut dari possunt* & *§. 9. & 10. Inst. de testam. ordin.* quin imo Germanis nihil usitatius est, quam verba proferre in singulari, & intelligere ea tamen in plurali; v. c. si dicitur: der Mensch ist Staub und Asche.

CAPVT II.

De Personis, in quarum Geradam succedunt Clerici.

§. I.

Cum itaque liquido constet, quinam hic sub nomine Clericorum veniant, & quales Clerici in Geradam succedere possint, inquirendum etiam erit, quales personæ sint, in quarum Geradam successio Clerici locum habeat, propterea quod, multas personas, imo, uno verbo, omnes foeminas, sive sint uxores, sive viduæ, sive virgines, sive matres, sive sorores, sive mater terræ, & sic porro Geradam relinquere, in aprico est.

§. II.

Quod si *Art. 5. L. I. jur. Provinc.* utpote fundamentum totius nostri privilegii, paulo accuratius inspiciamus, ex eo apparet, eum de Gerada, quam mater Clerici relinquit, loqui, dispositio enim hujus est tenoris: der Pfaff nimmt gleichen Theil mit der Schwester in der Mutter Gerade. Hinc nullum remanet dubium, nec etiam extantibus verbis tam clarissimis subesse potest, Clerico jus geradam matris capiendi, integrum esse.

§. III.

Majori disquisitione opus est, cum major dubitandi ratio

tio ſubſit, an idem quoque de aviæ Gerada affirmari queat? BARTHIVS im Bericht von der Gerade c. 11. §. 25. p. 87. hoc negat, ea ratione commotus, qua paſſim in diſſertatione præſenti uſi ſumus, nimirum ART. 5. L. 1. jur. PROV. SAX. continere jus plane ſingulare, adeoque ſic argumentando procedit: Quia hæc diſpoſitio juris Saxonici eſt nova, exorbitans, ac a jure communi aliena, neceſſe eſt, ut ea ſtrictiſſime explicetur, & ultra verborum tenorem, ne ob paritatem quidem, ut ajunt, rationis extendatur; Cum autem Jus Saxonicum tantum de Gerada matris, non etiam de gerada aviæ ſanciat, alia e contrario perſona ſit avia, alia etiam mater, item alia filius, alia nepos, ſubſiſtendum etiam in Gerada matris. Sed enim vero, quia in jure appellatio matris aviam quoque ſub ſe complectitur, vid. L. 51. & 201. ff. d. V. S. nepos Clericus inſuper non amplius de rebus Heergewetticis participat, quam filius clericus, & ſic non paritas rationis, ſed eadem plane ratio, quæ eandem diſpoſitionem ſuadet, L. 32. pr. ff. ad L. Aquil. adeſt, merito affirmandum videtur, Clericos in aviæ Gerada etiam ſuccedere, conf. WERNH. ſel. Obſ. For. P. 1. Obs. 144. & ejus Enunciat. For. hod. P. 1. Enunc. 129. p. 240. ſeqq. nec non Ej. Princ. Jur. Eccleſ. Prov. C. 4. §. 38 p. 28. Et hæc aſſertio indiſtincte obſervanda eſt, ſive quæratur de Gerada aviæ maternæ, ſive paternæ, & ſive pater etiam Clericus fuerit, ſive minus, quoniam Clericus ſuccedit in Geradam, non ex jure repræſentationis, ſed jure proprio, adeoque nil intereſt, utrum Clericus a perſona cognata, an agnata perſona capeſſendæ Geradæ habili, ſive inhabili, deſcenderit. Pariter nil impedit, quo minus hoc aſſertum ulterius ad proaviam & omnes fœminini ſexus aſcendentes extendamus; quia eadem adeſt ratio, dum Clericus & pronepos, & ſic porro, etiam privatur rebus Heergewetticis, & æque appellatio matris ad appellationem proaviæ cæterarumque aſcendentium extenditur L. 51. & arg. L. 220. p. 1. & §. ff. d. V. S. & arg. L. 3. §. 2. ff. de Poſtul.

§. IV.

Quia non omnes liberi ex juſto matrimonio procreantur,

tur, ſed multi ex illicito prodeunt concubitu, intereſt, ut etiam ratione horum diſpiciamus, an matribus ſuis, quæ vulgo ipſos conceperunt, in Geradam ſuccedere poſſint? Quod ad legitimatos per ſubſequens matrimonium attinet, nemo facile erit, etiam ex dupondiis, qui iis non ſtatim Geradæ ſucceſſionem tribuat, & quidem recte, quoniam idem jus competit liberis per ſubſequens matrimonium legitimatis, quod liberis competit ex juſtis nuptiis quæſitis, HOPP. *ad Inſt. Tit. de Nupt. ad §. 13. p. m. 79.* NOV. *89. C.* 8. adeo, ut etiam in feudis ſuccedant. STRUV. *Syntagm. Jur. Feud. C. IX. th. 3. n. 12. p. 305.* Verum ſi alios illegitimos intueamur, forte nonnulli haud deerunt ſcrupuli. Videtur equidem hæc diſquiſitio parum utilitatis ſecum ferre, propterea quod filii ſpurii a munere eccleſiaſtico usqe ad decimam generationem in ſ. ſcriptura DEVT. *23. v. 2.* plane excluduntur, Jureque Canonico etiam a tali arcentur, vid. KRAVS. *Diſſ. de Conc. docimaſt. §. 26. p. 49.* imo juxta Diſpoſitionem Juris Civilis & mores hodiernos indigni judicantur, quibus honores, dignitates & officia politica conſerantur, STRUV. *ſynt. Jur. Civ. Ex. VII. th. 20. p. m. 151.* SCHOEPFF. *ſynopſ. *. Tit. de his qui not. inf. n. 28. p. 102.* Verum, cum Jus divinum tantum ſit particulare, ſolis liberis Iſraeliticis præſcriptum, Chriſtique adventu abrogatum, Jus etiam Canonicum & mores nos non abſolute obligent, nullum eſt dubium, quin inter Proteſtantes ſpurius, ſi vitium natalium eruditione, vitæque integritate emendatum ſit, aliosque habilitate & donis ſuperet, Principis imprimis diſpenſatione accedente, muneri eccleſiaſtico præfici poſſit, conf. BOEHM. *Jus eccleſ. Proteſt. L. 1. Tit. 17. p. 510. ſeqq.* & KRAVS. *Diſſ. de Conc. docim. §. 26. p. 49.* Quæ cum ita ſe habeant, non immerito quæritur, an talis Clericus matris ſuæ Geradam capere poſſit? id quod utique erit affirmandum. Cum enim ea, quæ liberos vulgo concepit, etiam mater vocatur *L. 44. §. 31. ff. de R. Nupt. L. 4. §. 3. & L. 5. ff. de in jus voc.* adhæc liberi vulgo quæſiti æquale jus ſuccedendi in bonis matris ejusque aſcendentium cum legitimis habeant. *L. 2. L. 4. & L. 8. ff. unde Cognati §. 7. Inſt. de SCto Tertull. §. 3. Inſt. de SCto Orphit. L. pen. L. ad SCtum Orphit.* MATTH. *in Tr. de ſucceſſ. C. XIV. §. 16.*

STRUV. *synt. Jur. Civ. Ex. 38. th. 25. p. 302.* BEYER. *Delin. Jur. Civ. Inst. Tit. de success. ab intest. pos. 48. in not. q. p. 152.* Ratione Geradæ vero nihil peculiare statutum, sed ad eam quoque admittuntur filiæ spuriæ, WERNHER. *Dissert. de Jure succed. in reb. exped. & utens. th. 10. in not. lit. d.* & BARTH. von der Gerade C. II. §. 8. p. 45. *seqq.* LUDOV. *Doctr. ... Tit. de modo succedendi ab intestat. §. 8. p. 579.* STRUV. *synt. Jur. Civ. Ex. 38. th. 25. p. 303.* nihil exinde obstat, quo minus etiam Clerico spurio idem jus vindicemus. Unum adhuc restat dubium, nempe, quod, uti sæpius dictum, dispositio Juris Sax. plane singularis sit, singularia vero strictam duntaxat agnoscant interpretationem, ideoque etiam spurii a successione in feuda excludantur. Ast, nec hoc argumentum tanti erit ponderis, ut nos a contraria sententia abducere possit, nam clericus spurius, perinde ut legitimus, clericus est, cæteraque, quæ huic Juris Sax. sanctioni materiam præbuerunt, rationes ad eum ubivis quadrant, quoad feuda vero hæc adest differentia, quod, ut reliqua taceam, domino intersit, ne spurii in feuda succedant.

§. V.

Multo aliter se res habet cum Clericis ex damnatis, adulterinis scilicet, nefariis & incestuosis complexibus progenitis: Namque, cum hujuscemodi notæ liberi omni omnino successione in bonis maternis indigni æstimantur, NOV. 89. C. 15. NOV. 74. *C. ult. Dissert. alleg.* WERNH. *th. 10. in not. lit. C.* & BEYER. *Delin. Jur. Civ. ad Inst. Tit. de success. ab intest. pos. 47.* incapaces etiam Geradæ sunt, BARTH. *l. c. C. II. §. 10. p. 50.* WERNH. *Diss. alleg. in not. l.* & consequenter etiam Clerici, uti ab illis bonis, ita etiam a Gerada excluduntur.

§. VI.

Porro, notum est, concessum esse ex indulgentia Principis foeminis ad solatium liberorum amissorum adoptare §. 10 *J. de Adopt.* & *L. 5. C. eod.* notum est etiam, talem adoptionem impertiri jus ab intestato succedendi, STRUV. *synt. Jur. Civ. Ex. III. th. 62. p. 67.* Successionem tamen in Gerada tali filiæ adoptatæ tribuendam esse, neutiquam autumo. Nam, quia adoptatus, vel arrogatus, non in omnibus caussis assimilatur ei, qui ex legitimo matrimonio exortus est, §. 8. *Inst.*

 de

de adopt. Sed ea, quæ a ſanguine, vel naturali propagatore dependent, eidem non conferuntur, *L. 23. ff. d. Adopt.* ideoque talis a ſucceſſione in Feudis & Fideicommiſſis familiæ & Emphyteuſi pro ſe & deſcendentibus conceſſa excluditur, prœterea etiam ſub liberis non intelligitur, *L. 51. §. 1. ff. de Legat. & fideicomm. II.* & ſic vel ex hoc argumento filiæ adoptatæ ſucceſſio in Gerada merito denegatur. Nec parum ſententia noſtra per ea ſuffulcitur, quod liberis adoptatis ſucceſſio condito teſtamento adimi poſſit; cum vero Geradam per teſtamentum nec relinquere, nec aliquem ea privare licet, hoc odioſum inde propullularet, quod mater adoptans neceſſario filiæ adoptatæ relinquere cogeretur. Quæ cum ita ſint, facile eſt intellectu, nec clericum filium a fœmina adoptatum in Geradam adoptantis matris ſuccedere poſſe.

§. VII.

Pari modo excludimus Clericum a ſucceſſione in Gerada ejus, quæ ipſum e baptiſmate ſuſcepit, ſeu matris ſpiritualis, item novercæ, materteræ, quamvis hæ etiam matres audiant *§. 5. & 7. Inſt. de Nuptiis.*

§. VIII.

E contrario Clericum a matre exheredatum admittimus ad Geradam, idque ex ea ratione, quod Gerada non pertineat ad hereditatem, nec jure hereditario, ſed proprio capiatur, BERG. *in ſupplem. ad Elect. Diſc. For. P. I. 4. Obſ. 13. p. 574.* LEYSER. *medit. ad π. Vol. II. d. p. 91. m. 7. p. 285.* BARTH. **von der Gerade** *C. I. §. 4. in not. lit. c. p. 14.* Jam vero ad ea, quæ extra hereditatem ſunt, & ex peculiari jure alicui tributa exheredatio ut per ſe odioſa, extendi nequit, quemadmodum exemplum eſt in feudis, in quibus filius, non obſtante exhereditatione, ſuccedit. STRYK. *Ex. jur. feud. C. XIV. qu. 6. p. 235.* STRUV. *ſynt. jur. Feud. C. IX. th. 12. n. 7. ſeqq. p. 343.* BASTIN. *Diſſ. Conſ. Feud. Dec. III. Concluſ. 6. p. 20.*

§. IX.

Ne etiam Textui noſtro vim inferamus, aut cum invita analogia Juris, quæ jura ſingularia & a communi jure recedentia ſtrictiſſima interpretatione metiri jubet, extendamus, removemus Clericum non ſolum a Gerada ſororum

aliarumque cognatarum, sed etiam filiarum, BARTH. c. l. C. II. §. 24. p. 84. & §. 25. p. 88. CARPZ. ad Const. Elect. 14. P. II. Def. 6. HORN. in Addit. ad Schilt. Jus Can. L. 1. T. 18. §. 18. p. 116. nisi in genere per statutum receptum sit, masculos, deficientibus fœminis, in Gerada succedere, uti Lipsiæ. Conf. CARPZ. l. c.

§. X.

Ex eadem ratione denegamus quoque clerico successionem in Gerada uxoris. WERNH. Obs. Sax. P. III. Tit. 1. Def. 10. n. 5. seqq. CARPZ. Jurispr. Consi. L. III. Tit. 2. Def. 10. n. 5. seqq. p. 673. SCHILT. Inst. Jur. Can. L. 1. Tit. 18. §. 18. p. 189. BARTH. l. c. Dissent. BOEHM. in Jurispr. eccles. Prot. L. III. Tit. 27. §. 24. p. 1048. sed absque sufficienti ratione. Aliter observatur Dresdæ, cujus Statutum Cap. 16. successionem geradicam Clericis permittit. Verum quia limitatio ibi addita: modo Clericus bona immobilia sub Jurisdictione Senatus oppidani sita, possideat, BERG. Oecon. Jur. lib. II. Tit. IV. th. 40. n. 14. p. 460. quæstio, ut ab amico percepi, haud ita pridem orta: an ea bona sufficiant, quæ Clericus maritus ex testamento uxoris suæ accipiat? & respondit inclyta, quæ Wittebergæ floret, Facultas JCtorum mense Augusti anni currentis, quod non. Verba responsi ita sonant: Wenn gleich per Statuta Dresdens. C. 16. denen Geistlichen die Succession in ihrer Ehe-Weiber Gerade verstattet wird, und die dabey gesetzte Condition, daß selbige mit Immobilibus unter des Raths Jurisdiction angesessen seyn sollen, dadurch, daß ein Geistlicher per Testamentum uxoris Immobilia überkommen, erfüllet zu seyn scheinet; Dieweil aber dennoch die Gerade in momento mortis, auf die nächste Nifftel verfället wird, und selbige zu solcher Zeit ein Jus quæsitum erlanget, derowegen bey dem Ehe-Manne possessio immobilium, und die sich darauf gründende Facultas Geradam jure hereditario capiendi præexistiren muß; So ist, daß ein Geistlicher schon vorhero, und ehe noch sein Ehe-Weib verstorben, mit immobilibus angesessen sey, nöthig. Præter hæc, ut Clericus succedens tradat proximæ cognatæ die Mittel-Gerade præcipitur. BERG. eod.

CAP.

CAP. III.

De Modis, quibus cessat hoc Privilegium.

§. I.

SPectatis ita Clericis, qui in Gerada succedant, & personis, quarum Geradam accipiant, enucleandum denique erit, in quibus Clericis, iisque ordinatis, hæc successio deficiat. Primo itaque ille Clericus hujus privilegii expers est, cujus mater, antequam ordinatus est, obiit, quia ordinatio postea facta non retrotrahitur ad tempus mortis maternæ, id quod & tunc veritate nititur, licet pater Clerici post ordinationem demum moriatur, & Clericus ab ejus Heergewetta excludatur, quia hæc a casu fortuito dependent, & e contrario accidere potest, ut, uti §. 13. *Cap.* 1. dictum est, & in Heergewettam patris, & in Geradam matris, succedat.

§. II.

Cum unicuique favori pro se introducto renuntiare liceat, dubio hoc caret, quin etiam Clericus successionem repudiare possit. Verum hoc est quæstionis: an id eum in finem facere queat, ut accipiat Heergewettam, in cujus compensationem successio in Gerada introducta est? id quod negatur, quia Clericus per se, persona rerum expeditoriarum inhabilis est.

§. III.

Non minus amittit Clericus successionem in Gerada per renuntiationem tacitam, quod fit per præscriptionem. Præscribitur autem Gerada anno Saxonico, id est, anno, sex hebdomadibus & tribus diebus, quod tempus tamen non statim a morte defunctæ, sed demum a die trigesimo currere incipit. WERNH. *Obs. Sel. For. P. III. Obs. 4. p. 19.* Ex adverso requiritur in possidente, præter titulum, bona fides, WERNH. *eod.* BERG. *Oec. L. II. T. IV. th. 40. n. 16. p. 460.*

§. IV.

Species renunciationis etiam est resignatio muneris ecclesiastici, hoc enim dum quis resignat, consequenter privilegia etiam Clericorum amittit. STRYK. quidem *ad Brunnem. Jus eccles. L. II. C. 4. §. 14. p. 287.* ad voc. *resignatio* putat,

tat, Resignationem absolutam inter Protestantes esse illicitam. Verum in Saxonica mihi ipsi non ignota prostant exempla, quod pastores permissu Principis officium suum deposuerint, & aliud vitæ genus, quo Deo pariter ac proximo inservire posse crediderunt, elegerint.

§. V.

Accidunt haud raro casus tristes, ut clerici talia committant delicta, quibus se ipsos munere ecclesiastico indignos reddunt, & remotione ab eo puniuntur, id quod degradatio, seu depositio dicitur. Hæc degradatio est vel actualis, sive realis, vel verbalis. Illa fit solenniter, detractione ornamentorum clericalium, ablatione sacrorum instrumentorum & traditione Clerici in potestatem secularem. BRVNNEM. *Jus Eccles. L. II. c. 19. §. 4. p. 588.* KRAVS. *Disp. de jure degrad. Canonica, §. 7. p. 8.* Hæc nudis verbis absque tali solennitate BRVNNEM. *eod.* Vir taliter remotus nihilominus adhuc gaudet successione in Geradam, quia in praxi talis Clericus retinet privilegium fori, canonis, aliasque immunitates. BRVNNEM. *c. l.* KRAVSII *Diss. cit. §. 40. p. 45.* BOEHM. *Jus eccles. Prot. L. I. Tit. 16. §. 10. p. 508.* quamvis hic, nempe BOEHM. contrarium in jure verius esse loco citato statuat, & quidem recte. Realiter autem remotus, quæ remotio etiam inter Protestantes obtinet, vid. KRAVS. *Dissert. alleg.* perdit talem successionem, quoniam taliter degradatus omnibus omnino privilegiis Clericis indultis exuitur. BOEHM. *l. c. §. 11. p. 509.* BRVNNEM. *l. c.* STRYK *ad eund. ad §. 4.* ad verba: *per actualem sacrorum p. 599.* KRAVS. *cit. Diss. §. 42. p. 46.* Ex dictis consequitur, multo minus Clerico, sive ob inquisitionem, in quam incidit, sive ob delictum admissum, ab officio suspenso successionem in Geradam, si mater durante suspensione moriatur, recusandam esse, propterea quod talis Clericus licet salario aliisque reditibus, & Accidentalibus, ut vocant, careat, privilegia tamen & immunitates Clericorum salva retinet.

§. VI.

Hæc sunt, quæ de hac materia pro ingenii mei modulo disserere constitui. Nihil itaque superest, quam ut Lectorem benevolum de labore hoc æquo animo accipiendo enixe rogem; Deo vero ter optimo maximo devotissimas persolvam grates, quod gratia sua me dignari voluerit, quo huic schediasmati colophonem feliciter imponere potuerim.

* * *